



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio II. De errore Filicis & Elipandi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.  
2. 23.

adducit Alcuinum, Céturiatores, Franciscum Feuardentium, Sigebertum, Antoninum, & alios, quibus adde P. Ioannem Marianam, qui lib. 7. de Rebus Hisp. c. 8. ait se inuenite coactum esse Concilium Francofurti ad damnandos Felicem & Elipandum de filiatione adoptiua Christi. Baronius autem tom. 9. anno Iesu Christi 794. per multa folia refert errorem Elipandi & Felicis, & illorum damnationem: adducitque nonnulla testimonia Adriani & Concilij Francofordiensis, & totam eius refert historiam. itaque de hoc Concilio dubitari potest à solis imperiis Historiæ Ecclesiast. & ferum Hispan. Subscribunt Scholastici recentiores. P. Bellarminus hoc Concilium admittit sine controuersia.

§. 2. Obijcis Primò, hoc Concilium tot sæculis delituisse, neque verisimile videtur id potuisse contingere Concilio tam celebri, vt illud Baronius vocet maximum propter celebritatem Episcoporum. Confirmatur. quia non apparet verò simile, doctissimis Scholasticos ignorasse tale Concilium: nam si illius aliquam notitiam haberent, non auderent illi aduersari, vt aduersantur Scotus, Durandus, Gabriel, & alij. Respondeo, nõ esse notum libros tempore absumi, aut delitescere in bibliothecis puluere oppletos propter incuriam studentium. Postea verò quorundam diligentia puluerem excurentium, libri communi aura fruuntur. verbi gratia Conciliũ Remense profus ignorabatur vbi nam esset, donec P. Vasquez illud Romæ odoratus in publicum elidit. Nec verò in Ecclesia fuit ignoratum istud Concilium, cum tam multi historici à tempore, quo fuit celebratum, vsque ad Baron. illius meminerint: sed nesciebantur illius acta, quæ postea apparuerunt. Ad confirmationem, responderetur Scholasticos illos alijs in rebus esse laudabiliores, quam in studio Chronographiæ Ecclesiæ.

§. 3. Obijcis Secundò, stylum Adriani, & Concilij esse alienum à Pontificijs: nam elegantiam redolet fucaram, & vehementer perstringit Felicem & Elipandum, vt eos potius lacerare conuicijs, quam reuocare videatur ab errore. Responderetur non esse decrerum stylum Pontificibus; sed Spiritum sanctum vti illorum naturali loquendi ratione, vt patet in Isaiâ & Amos. ille enim totus est aulicus; hic verò pastoricius. imò & Paulus inæqualis est in stylo: epistola enim ad Hebræos est elegantissima, & plenissima eruditione: libri etiam Machabæorum sunt perquam elegantes, perpensentes oratoriè suorum temporum calamitatem; Exodus autem stylo facili ac plano enarrat populi calamitatem. temporibus autem Adriani floruit proculdubio sermo Latinus, vt patet ex confessione Elipandi (hominis Galli, vt vult Mariana) bene quidem Latina. Ad secundam probationem, responderetur cum Elipando & Felice actum prius à Pontifice mitissimè, qui videns illos ad eò esse pertinaces, vt vniuersam Hispaniam grassarentur, illam virulento halitu inficientes; oportuit illorum inueterato vulnere acerbiorum medicinam adhiberi, & vt intelligerent Hispani, illos pseudoapostolos esse, non verò Catholicos Episcopos. Elipandus respuit, Felix obdurauit.

§. 4. Obijcis Tertio, ab Adriano ferè notari hæresi sanctos Ildephonsum & Iulianum Archiepiscopos Toletanos: dicit enim ex talibus patentibus

tales filios exortos. quod est contra communem Ecclesiæ consuetudinem, vt patet ex Concilio Florentino, in quo acriter disputatum est per multos menses de sensu cuiusdam propositionis B. Basilij, ex quibus Bonau. ibi adducitur perquam honorificè. Respondeo, eos Sanctos adductos ab Elipando & Felice vt auctores illorum erroris: quia verò Papa non viderat eorum scripta, ait ex talibus parentibus tales filios ortos, scilicet ex ignorantibus; non verò quòd hæretici censerentur: neque Ildephonsus ad eò erat notus, vt posset in doctrina vniuersalem auctoritatem conciliare. mentiti sunt autem Felix & Elipandus imponentes errorem illum sanctis Ildephonso atque Iuliano, à quo eos vendicare conati sunt in eò Concilio Beatus & D. Heterius Episcopi Hispaniæ, id quæ præstat ex instituto Baronius tom. 9. anno Christi 794. à n. 7. referens auctorem illius erroris in Hispania fuisse Theodiscum Græcum Archiepiscopum Hispalensem, qui Episcopatu amotus defecit ad Mauros. Nec mirum in factò tam distanti deceptum ab alijs esse Pontificem.

§. 5. Constat ergo aduersarios moueri sola coniectura ad negandum hoc Concilium. quod argumentum historijs est leuissimum: neque adducunt probatum aliquem auctorem, qui hoc Concilium dicat esse apocryphum. à nobis autem stant multi, hi quæ grauissimi: item conciliatio rerum Ecclesiæ cum rebus Galliæ atque Hispaniæ. Nam Adrianus damnauit eum errore. Carolus Magnus id enixè curauit: & Iulij temporibus renouatus esset error in Hispania. Vnde colligo definitiones huius Concilij esse de fide, & non aliter accipiendas: quia vt tenemur assensum fidei præbere, non requiritur vt ipse Pontifex, aut tota Ecclesia mihi applicet definitionem; sed sat est sufficiens promulgatio, quæ fit per euulgationem Conciliorum, & Historicorum auctoritatem: mihi enim numquam proposuit suas definitiones totum Concilium Tridentinum, sed tantum per euulgatos libros; & tamen illius definitionibus assentior fide diuina: alioquin nihil certum posset esse de Ecclesiæ definitionibus.

## SECTIO II.

### De errore Felicis & Elipandi.

§. 6. **V**T calleamus Adriani decreta, & Concilij Francofordiensis, oportet examinare errorem ibi damnatum. Multa controuersia est inter Theologos, quid senserint Felix & Elipandus? Aliqui existimant eos fuisse Nestorianos, constituentes duas personas, alteram diuinam, filium naturalem Dei; alteram purè humanam, filium adoptiuum. Christum vt Deum censebant filium naturalem; Christum vt hominem adoptiuum: quia Christus erat nomen quasi copulatum, significans duas personas distinctas, humanam & diuinam. Alij censent, eos non constituisse duas personas, sed vnã; eam quæ vt Deum esse filium naturalem Dei, vt hominem verò adoptiuum; vt postea dixere pauci Scholastici.

SVBSECTIO I.

*Quid illi censuerint?*

§. 7. **Q**uain re existimo Primùm, eos Episcopos ante vnionem hypostaticam constituisse priùs tempore filium Virginis purum hominem: deinde factam vnionem; vt ostendam §. 31. & quia hic error non est de quo agitur præcipuè, illum ego reijcio in §. 31. at verò factâ vnione in Christo, existimo eos non constituisse duas personas in Christo, nec ea de re eos fecisse verbum, nec fuisse aperte Nestorianos: sed tantùm dixisse Christum vt hominem esse filium adoptiuum, & seruum Dei: nec aliud eos dixisse. Quia Adrianus illis objicit pro absurdo, Christum fore duas personas. Recognosce disp. 78. §. 48. & infra hac disp. §. 11. & 26. præsertim 29.

§. 8. Dico Secundò, adoptionem & seruitutem propriam, & non metaphoricam, tam aperte pugnare cum vnitatem personæ, vt parum dissentent hæresis Nestorij, & adoptio Christi vt hominis. De seruitute idem dixi disp. 78. §. 53. & 55. quamuis mitigatus id sit dicendum propter auctores Catholicos eam seruitutem admittentes.

§. 9. Dico Tertio, ob eam affinitatem errorum, & consequentiam mutuum ab altero ad alterum: item & propter existentiam puri hominis priùs tempore quàm vniretur Verbo, eos Episcopos in simulatos nestorianismi ab Adriano, Còcilio, & Historicis. Itaque Felix & Elipandus eo in errore non censuerunt cum Nestorio aperte, in constituendis duabus personis post vnionem: at error ipse filius est Nestoriani, eum que infert aperte.

§. 10. Primam conclusionem in §. 7. censet P. Vasquez disp. 89. c. 8. quam ibidem probat aperte ex Alcuino, qui interfuit Concilio cum Carolo Magno suo discipulo, & Aluarez disp. 75. num. 9. Quod probatur Primùm ex confessione Elipandi, ijs verbis: *In Verbo Dei pro suis officijs diuersa meruerunt vocabula, quæ nequaquam diuidantur in substantiam. Quem sacra Scriptura testatur pro salute humani generis deitate exinanita hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, &c.* Inferiùs autem eidem personæ, cui adscriperat hæc ludibria passionis, adscribit etiam gloriam diuinitatis, ijs verbis: *Cuius gloriam secundum diuinitatem stupent caelestia, & magnitudinem contremiscent terrena: & qui dicit, Gloriam meam alteri non dabo: homo interior in vna eademque persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus.* Hæc omnia non possunt quadrare in duas personas; quia quæ passus esset, non posset dici in stuporem rapere caelestia diuinitate sua: nec persona diuina diceretur homo facta & crucifixa: ea enim Nestorius negabat, qui duabus personis adscripsit, quæ nos naturis duabus.

§. 11. At objicies, Elipandum duas ibi constituisse personas, ijs verbis: *Quia non per illum, qui natus est de Virgine, visibilia & inuisibilia condidit: sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, nec gratia, sed natura.* Cum autem dixit Christum in vna persona esse Deum & hominem, vsus est voce Nestorianæ simili, *In vna eademque persona adglomeratus.* Respondeo, Elipandum errasse cum Nestorio in constituendo homine aliquo tempore sine vnione, vt dicam à §. 31. at factâ vnione vnâ tantùm personam admisit. Vox autem adglomeratio non est apud Eli-

*Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

pandum, quod apud Nestorium copulatio: hic enim solum significauit vnionem per amorem; vt satis constat; Elipandus verò non negauit physicam vnionem, factam posterius tempore: quia in eadem confessione vsus est eadem voce in diuinis, vbi nullam diuisionem admisit, ijs verbis: *Ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus opter vnus totius condite creature, vnus glomeratio charitatis, vnus ambitus dilectionis, coeterna substantia.* Substantiam coeternam vocauit glomerationem vnus charitatis. Et charitas Dei non est in ipso diuisa. Quod autem dixit primis verbis adductis, malè quidem dixit: quia verba significare possunt personarum distinctionem, vt etiam apud ipsum sonuere ante vnionem factam post conceptionem: at ante natiuitatem videtur constituisse vnionem, qua Maria peperit Deum, fuit que eius mater. quod non admisit Nestorius. Vnde non accepit vocem, *Qui natus est de Virgine,* suppositiuè, seu ratione suppositi; sed ratione naturæ. etenim vni personæ, eidem que adscriperat diuina & humana prædicata. Deinde ostendit creationem, quam illi adscriperat, ei conuenire ratione diuinitatis, & ratione eiusdem filiationem naturalem; humana verò ratione humanitatis.

§. 12. Quod clarissimè patet ex eodem testimonio: *Sed per illum, qui non est adoptione, sed genere; nec gratia, sed natura: & per istum Dei simul & hominis filium, adoptiuum humanitate, & non adoptiuum diuinitate, mundum redemit, qui est Deus inter deos.* Quibus aperte exposuit sensum verborum superiorum; & distinxit inter naturas, non verò inter personas: etenim in errore Nestorij Deus non est crucifixus, nec homo mundum creauit; nec idem est filius Dei & Virginis: opposita autem confitetur Elipandus: ergo non fuit in errore Nestorij hac in parte.

§. 13. Secundò probatur ex Adriano sub initium epistola, vbi recensens causam cogendi Concilium, non meminit erroris Nestorij, sed præcisè adoptionis. *Materia autem (inquit) causalis perfidiae inter caetera reijcienda de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundum carnem.* Hæc clariora sunt verbis Concilij, ver. item sanctus: vbi Concilium objicit Elipando hunc errorem, olim ab Ecclesia damnatum in Nestorio. quod ita probat: *Videtur enim Nestorius dicere copulationem; quod vos dicitis adoptionem. Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet &c.* Quibus probat Elipandus, eum esse in errore Nestorij. Deinde rectè probat P. Vasquez disp. 89. num. 35. ex alijs Concilij verbis, interti Elipando pro absurdo dualitatem personarum, nec eum fuisse expressè errorem Nestorij: vide §. 20. 25. 27. & 28. quod opus non esset, si Elipandus id sibi persuasisset. Recognosce verba Alcuini adducti à P. Vasquez disp. 89. num. 36. & 37. Item ex verbis Caroli Magni ad Elipandum, vbi asserit eius doctrinam de adoptione Christi esse nouam, & antiquis Ecclesiæ temporibus inauditam. Constat item Elipandum scripsisse Carolo suam doctrinam esse Catholicam; & Beatum ei repugnantem, esse hæreticum, quam sperauit in Concilio definiendam. At non esset tam amens, vt existimaret nestorianismum definiendum ab Ecclesia, toties ab ea damnatum. Hunc item errorem fuisse de Christo non absolutè, sed vt homo est, & secundum humanitatem, constat tum §. 12. ex verbis Elipandi: tum ex §. 13. ex verbis Adriani.

## SUBSECTIO II.

## De sententia opposita.

§. 14. **P**atres Suarez disp. 44. sect. 1. §. Vna ergo: Valentia qu. 20. puncto vnico, Ragusa disp. 30. §. 2. & alij existimant errorem Elipandi fuisse apertè hæresim Nestorianam, & ab eo negatam vnionem hypostaticam: quamuis P. Suarez fateatur, duas personas, & hunc errorem Nestorij ab Elipando non fuisse admissos expressè. Suam sententiam ij auctores multis argumentis probare nituntur. Primum ex ipso Concilio, vers. Item sanctus Evangelista, ijs verbis: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab vniuersali sancta Ecclesia resutata est, etiam & damnata? Quapropter fortè illum anathematizare noluisistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arrium, & Sabellium, Manichæumq; qui praua de Dei Filio senserunt.*

§. 15. Respondeo ijs probari secundam & tertiam conclusionem è §. 8. & 9. adoptio enim pugnat apertè aperte cum vnitate personæ: & quia Concilium id rectè perpendit, probat hos auctores non dissentire à Nestorio, & confert adoptionem Felicianam copulationi Nestorianæ, vt constat ex §. 13. Non ergo censet Concilium dictum à Felice apertè errorem Nestorij quoad dualitatem personarum: sed eum resutat ab eo absurdo iam olim in Ecclesia damnato: & quem Felix & Elipandus negandum curabant. Tacuerunt autem anathematismo Nestorium, vel quia cum Arrio & Bonoso eum censuere damnatum; vel quia fortè timuerunt consequentiam, vel quia cum eo censuerunt in filio Virginis prius tempore existente, quàm fieret vna persona humana & diuina; in quo errarunt, vt dicam §. 31. Sic expone multa testimonia eiusdem Concilij sacrosyllabi, & Adriani; item Alcuini, vt dicam §. 48. Baronij tom. 9. anno Christi 783. num. 5. & 6. item anno 794. num. 5. P. Ioan. Marianæ lib. 7. de Rebus Hispaniæ cap. 8. & aliorum. Qui veterosam hæresim, scintillas Nestorij, & similia dicunt de hoc errore, non quòd in eo illi fuerint scienter in dualitate personarum, sed quòd in re ab eo distet parum. Nec mirum id non agnitum ab his Episcopis: cum adhuc Scholastici nonnulli censeant componi posse adoptionem cum vnitate personæ: at in existentia puri hominis, prius quàm vniretur, fuerunt ij Nestoriani: nec Catholicus vllus id asseruit in scholis. Explicato igitur hoc testimonio, cætera de eadem re sunt explicata.

§. 16. Secundò mouentur: quia Concilium tam acriter inuehitur in Felicem & Elipandum, vt propterea fuerit aliquibus suspectum: eos enim appellat querulos obtretratores, Deo odibiles, eorumque linguas minutissimè interfecandas, & propter hæresim eandem Hispanos Mauricio iugo attritos: quia seruum Christum quasi purum hominem constituunt. E quibus multa descripsi disp. 77. agens de seruitute Christi: alia verò hac disputatione desiderabam. Nec simile est veri ea dicta, nisi ea hæresis esset Nestoriana: si enim admitteretur vna persona humana & diuina; eamq; vt Deum esse filium naturaleni Dei, ratione autem humanitatis adoptiuum; non esset eorum lingua dissecanda, nec essent odibiles Deo: nonnulli enim recen-

tiores Scholastici Doctores eam tuerentur sententiam, quam esse hæreticam nullus audeat asserere.

§. 17. Respondeo, Concilium se præstitisse tam acidum Felici & Elipando; quòd subuerrere nitentur non solum Hispaniam, sed etiam Galliam & Ecclesiam: oportuit autem eos auctoritate exarmare, & ostendere eorum aut ignorantiam, aut prauitatem, & quamuis ipsi numquam asseruere nestorianismum quoad duas personas in Christo factâ vnione; at ante vnionem posuerunt filium Virginis purè hominem. Item de ipso Christo abiectè locuti sunt eum appellantes leprosum, captiuum, lupum, & vulturem, vt constat ex Concilio vers. Item sanctus Evangelista: seruitus autem & adoptio sunt puri hominis. Et quamuis illis verbis, nec eorum sensu, non admittebant purum hominem, vt constat ex §. 10. at sententia, & res, non poterant nisi de puro homine dici: quia seruus & adoptio puri hominis sunt, non hominis-Dei. & quod ipsi non animaduertebant, docentur à Concilio: Christum nempe diuidi in duas personas ex illorum sententia. In quo sensu locutus est etiam Alcuinus: illi non diuidebant Christum; at ex eorum doctrina non poterat non diuidi. Recentiores autem Scholastici non viderunt Conciliū, tunc absconditum; adoptionem autem in alio sensu acceperunt. Nihilò tamen minùsea sententia notatur ab alijs censura Theologica.

§. 18. Tertiò mouentur: quia præcipua fundamenta Concilij probant vnitatem personæ diuinæ & humanæ in Christo: ergo ille error oppugnatur, quo personæ distinguuntur. Respondeo conclusionem probatam in Concilio esse hanc: *Christus vt homo nec est propriè seruus, nec adoptiuus.* Damnatur autem hæc: *Christus vt homo est adoptiuus, & propriè seruus.* Vt autem suam definitionem probet Concilium, vtitur hoc syllogismo: *Christus vt homo & Deus, non sunt dua personæ; sed vna: at si vt homo esset seruus aut adoptiuus, non esset vna persona, sed dua: ergo Christus vt homo nec est adoptiuus, nec seruus.* Maior propositio latè probatur à Concilio, vt concedunt oppositi: Minorem ab eodem probari probabo à §. 24.

§. 19. Quartò mouentur: quia Alcuinus magister Caroli Magni ait lib. 3. de Trinitate cap. 9. *Ideo cum Patre & Spiritu sancto vnus est Deus, non nuncupatus, sicut Hispanica hæresis impia temeritate affirmare presumpsit, asserens Dei Filium in diuina natura Deum esse verum; in humana nuncupatum. Similiter in diuina natura proprium Filium Dei; in humana adoptiuum.* Respondeo eum esse errorem Felicis. Quid inde? At inquit, addit Alcuinus, *Diuidens vnâ personam Filij Dei cum Nestorio in duas personas; id est, verè filij, & adoptiui; cum certissimè constet in illâ personam, quam habuit æternaliter de Patre genitus, Deum Filium humanam assumpsisse naturam: quam nemo Catholicus fide confirmatus adoptiuam esse ausus sit dicere.* Respondeo, Alcuinum hæc verba; *Diuidens vnâ personam, dixisse de suo, non de Felice: iam enim retulerat eius errorem.* Deinde ipse ait, *qualis sit error, nempe diuidens vnâ personam: quia cum adoptione non componitur vna persona.* Vt autem videant Alcuinum censere esse contra fidem, humanitatem esse adoptiuam, aut personam ratione illius, relegant vltima verba adducta: *Humanam assumpsisse naturam, quam nemo Catholicus ausus est dicere adoptiuam.* Itaque ex adoptione humanitatis

infertur diuisio personarum. A nobis ergo est Alcuinus: qui vt interfuit Concilio, eodem est argumentum vsus. Et quidem P. Suarez tandem fatetur Elipandum non asseruisse expressè errorem Nestorij.

§. 20. Dixit Alcuinus hanc fuisse hæresim Hispanicam. Hispania Dei per Christū gratia, non est eorum fructuum ferax. Theodiscus Episcopus Hispanensis videtur eam hæresim docuisse: at in sensu Arriano, qualis erat Theodiscus, homo Gothus; Gothi autem peregrini peltem Arrianam in Hispaniam inuexere. Hic autem error Gallicus est, non Hispanicus. Felix enim eius auctor fuit, quo corrupti Elipandum: Felix autem fuit Gallus: Vrgellis autem cum tota Catalaunia penes Gallose rat: ob quod iussu Concilij relegatus est à Carolo Lugdunum, vt ait Ado Vienn. in Chronico anno 792. Estque sine controversia & Felicem fuisse Gallum, & auctorem eius erroris, qui dictus est hæresis Felicianæ. Elipandum Paludanus appellat *Tolosanum*. Possent autem Hispani censere Elipandum natum esse Tolosæ; Episcopum autem creatum Toleti: fortè dictus est *Toletanus* pro *Tolosanus*: siue ab Episcopatu dictus est *Toletanus*. Deceptus fuit à Felice, nec ipse potuit allicere nisi vnum Hispanum Episcopum. Beatus autem & Ætherius illi fortiter obstitere; nec habuit suæ sectæ vllum, cui daret epistolam ad Carolum, nisi suo hosti Beato. Elipandus re ipsa non errauit in dualitate personarum, nec fuit hæreticus: sensit enim catholicè; sed locutus est hæreticè; se tamen subiecit Ecclesiæ, vt constat ex Ioanne Auentino, à qua benignè exceptus, dignitatem retinuit: nec fero bene eum hæreticum appellari. Felix autem hæreticus obiit. Recognosce P. Vasquez disp. 80. cap. 12. est ergo hæresis orta in Gallia, non in Hispania.

SECTIO III.

*Vtrum Christus, vt homo, sit filius adoptiuus?*

§. 21. **E**A vox vt homo non accipitur pro conceptu communi hominis, vt ratione naturali humanitatis, siue præcisè quia homo est, sit filius naturalis Dei: sic enim inferretur omnem hominem esse filium naturalem Dei, eo præcisè quòd sit homo: vt omnis homo est risius: vt rectè Almainus obseruat in 3. d. 10. Est autem sensus: vtrum Christus ratione huius humanitatis vt vnitate hypostaticè Verbo, sit filius adoptiuus Dei, vt est persona grata Deo, & apud ipsum mensens: ita vt vnio hypostatica non extrahat humanitatem Christi à constitutione filij adoptiui.

SUBSECTIO I.

*Doctrina Durandi, & aliorum.*

§. 22. **D**Vrand. in 3. d. 4. qu. 1. num. 6. perspicuè docet, Christum vt hominè esse filium adoptiuum Spiritus sancti; idemq; censet de duabus alijs personis. Fundamentum est: quia Christus vt homo non oritur à Deo per generationem, nec more naturæ, siue impetu naturali, sed liberè, & per gratiam. Explicatur: quia humanitas non

habet per naturam constituere filium Dei, sed per gratiam: at filius per gratiam, & non per naturam, est filius adoptiuus: ergo Christus vt homo est filius adoptiuus. Cui sententiæ subscribit Gabriel in 3. d. 10. art. 2. At non video quo fundamento attribuat Gabriel censenti non posse catholicè dici Christum esse adoptiuum, nec absolutè, nec vt hominè: qui proculdubio vidit Concilium Francfordiense, quòd Durandus ignorauit. Affertur Almainus eadem disp. 10. sed expressè id negat. Scotus allegatur ab aliquibus eadem disp. 10. quem tamen pro opposita sententiā rectè Phil. Faber exponit disp. 23. cap. 1. Bassolis etiam affertur in 3. d. 4. art. 2. at magis se in oppositam inclinat; quamuis huic etiam fauet: & Ioan. Maior, qui magis est ab opposita. Huic argumento responderit §. 43.

§. 23. Hæc sententiā verbis & ratione est ipsissimus error Felicis: qui Christum dixit filium naturalem vt Deum; at vt hominem, & secundum humanitatem adoptiuum: etenim vnitatem personæ constituisse Elipandum probauit §. 10. adoptione ratione humanitatis constituit §. 12. Rationem autem esse, quòd humanitas natura sua & generatione non constituit filium, sed gratia. constat ex eius confessione sæpius à Concilio repetita. Christum enim vt Deum esse filium non gratia, sed genere; vt hominem autem non genere, sed gratia, dixit aperte: ergo Durandus idem sensit quòd Felix.

SUBSECTIO II.

*Impugnatur ea sententiā.*

§. 24. **E**A sententiā facile impugnatur. Primò, ex disp. 82. sect. 1. Vbi probauit, filiū adoptiuum non esse verè & propriè, sed tantum per impurationem filium: item filium adoptiuum esse, qui per carnis assumptionem extraneus factus est patri: item adoptatum, & adoptantem, esse alienos, coniunctos solo affectu. Recognosce totam eam sectionem, sed Christus assumptione carnis non est factus extraneus à Deo, nec illi est vnitus solo affectu, sed etiam physicè. item adoptiuo nihil datur à patre: Christo autem vt homini data est vnio hypostatica: ergo Christus vt homo non est filius adoptiuus Dei.

§. 25. Secundò probatur: vnitas personæ humanæ & diuinæ in Christo tollit adoptionem, ita vt non possit ea persona dici adoptiua: sed in Christo est vnitas personæ humanæ & diuinæ: ergo in Christo non est adoptio. Probo Maiorem ex definitione Concilij Francfordiensis, vers. *Hiscæ igitur*, ijs verbis: *Vnitas personæ, quæ est in Dei Filio, & filio Virginis, adoptionis tollit iniuriam: si ergo Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptiuus esse, vel seruus? Deum enim nequaquam audeat conseruare seruum, vel adoptiuum.* Vbi duo considera: Alterum sermonem esse de Christo vt homine, siue secundum humanitatem: tum quia error ea de re erat, non de Deo absolutè, nec secundum diuinitatem; sed de homine, & secundum humanitatem. quod constat Primò ex §. 12. vbi dixit Elipandus, *adoptiuū humanitate.* Itè §. 13. dixit Adrianus, *de adoptione Filij Dei secundum humanitatem.* tum etiam quia prudenter dicit Concilium, *In Dei Filio, & filio Virginis, vt adoptionem impugnet in Christo, tam vt est Filius Dei,*